

cognomento nuncupatum, P. Valer. l. e. observat. Unde apud Maronem:

*Vidit, Thuricremis quum dona imponeret aris,
Horrendum dictu! latices nigrescere sacros,
Eusaque in obscœnum se vertere vina cruorem:*

non tantum ostenti loco positum, sed antiquum attigisse significatum ipsi videtur, quod & pro vino sanguis & pro sanguine vinum acciperetur: sicut à Mose in cantico: *Et sanguinem uvæ biberunt meracissimum*; & à Psalmographo dictum: *sanguinem uvæ biberunt*. Unde Siracides quoque *sanguinem terræ*, vinum adpellavit. Sed de Paganorum circa vitis ortum fabulis, vel sub calcem hujus dissertationis, vel peculiari aliquâ pluribus agetur.

§. 7. Qui verò Noam vitis primum Autorem olim crediderunt, refutat eos una cum prioribus illis, qui ab usu discernere abusum nesciverunt, Ambrosius *Lib. III. c. 7. Neque enim inquit, nisi eam reperisset (Noa) ante generatam, plantare potuisset. Cultor ergo non autor est vitium. DEUS autem qui sciret, quod vinum sobriè potatum, sanitatem daret, augetetque prudentiam, immodicè sumtum ad vitia causas daret: creaturam dedit, abundantiam humano arbitrio reservavit, ut parsimonia naturâ esset magisterium sobrietatis, abundantie noxium, lapsusque temulentie sibi adscriberet humana conditio.*

§. 8. Neque verò divina illa vitis procreatio post Diluvium demum obtigit, quod absurdè quidam sentiunt, sed primævæ corporum naturalium omnium productioni utique *ὄρχηρον* est. Etenim DEUM, postquam universum hoc, cum omnibus incolis condiderat, à novarum specierum creatione cessavisse, sacra nos docet pagina. Et vitis utique usum Patribus etiam ante-diluvianis, quin ipsi Adamo non fuisse incognitum, complures sunt, quæ facilè persuadent rationes. Præterquàm enim illud, quod